DE CENTAUROMACHIAE IN ARTE GRAECA FIGURIS

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA RITE CAPESSENDOS SCRIPSIT

HERMANNUS OELSCHIG
WITTENBERGENSIS

HALIS SAXONUM
TYPIS WISCHANI ET BURKHARDTI
MDCCCCXI

DE DISSERTATIONE PROBANDA
AD PHILOSOPHORUM ORDINEM RETTULIT
CAROLUS ROBERT

Examen rigorosum habitum est a. d. IX. Kal. Mart.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Quomodo ab artificibus Graecis centaurorum cum heroibus certamina expressa sint, ita ostendere in animo habeo, ut omnia quae quidem mihi innotuerunt monumenta secundum figurarum diversitatem in classes redigam, unde intellegi possit, quae singulis aetatibus schemata saepius quae rarius occurrant, quibus quaeque aetatibus inventa sint, quae inventa per totam antiquitatem culta et propagata, quae posterioribus temporibus spreta et abiecta sint[1]). Imprimis autem inquirendum esse duco quae hac in re parietis a Polygnoto in Theseo Atheniensi picti partes sint[2]), quatenus picturae huius compositio ex monumentis servatis restitui possit, quae denique ei ratio intercedat et cum vasis pictis et cum templorum quinto saecolo aedificatorum ornamentis plasticis.

I.

Ab Hercule principium; nam primum illius, postea demum Lapitharum cum centauris pugna ab artificibus ficta est. Hercules autem aut centauros in fugam con-

---

[1]) Praeclaris scriptis praeierunt Adolphus Furtwängler (Griech. Vasenmalerei I p. 72. 73, II p. 132 sqq. 203), Fridericus Hauser (ibidem II p. 246. 301. 302. 311 sqq. III p. 42 sqq.), Paulus Hartwig (Festschrift für Overbeck 1893 p. 21 sqq.), Carolus Robert (18. Hall. Winckelmannsprogramm, Marathonschlacht; 22. H. W., Kentaurenkampf und Tragödienszene).

[2]) Polygnoti hanc picturam, non Miconis esse statuit Carolus Robert (Marathonschlacht p. 46 sq.).

vertens aut comminus cum iis congressus[1]) aut unum tantum centaurum persequens aut mulierem[2]) a centauro raptam liberaturus conspicitur. Itaque quattuor horum monumentorum genera distingui possunt.

Atque in primi generis exemplis vetustissimis Herculem altero genu nixum[3]) arcum in centauros effugientes intendentem videmus, quorum nonnulli manibus vel demissis vel sublatis arborum truncos tenent, pars capita retorquent. Exempla conclamata sunt zophorus, qui olim Assi Minervae templum ornabat[4]), et lecythium protocorinthium, quod in Ephemeride archaeologica Berolinensi 1883 tab. 10 editum est. His accedit tabula aenea Olympiae reperta[5]), quamquam in ea propter spatii exiguitatem unus tantum centaurus caelatus est. Deinde in alio lecythio protocorinthio, quod Journ. of Hell. stud. I tab. 1 editum est, Hercules torribus ex ara Pholi adreptis centauros adgreditur; mira enim est in vasculo illo singula depingendi ars. Tum in hydria Londonensi, quae Corinthiarum officinarum imitationem prae se fert[6]), Hercules statu erecto, ut in reliquis omnibus de quibus dicturus sum

---

[1]) Principio hanc Herculis Centauromachiam athlis adnumeratum esse, inter quae etiam in cratere marmoreo Romano (Zoega, Bass. R. II tab. 63) conspicitur, valde veri simile est; cf. Wilamovitz, Heracles I p. 56. Sed mox Pholi figura adiuncta et initium certaminis a dolio centaurorum exantlato repetitum est. Ita fit, ut a mythographis inter parerga narretur.

[2]) In carminibus et narrationibus nomina virginis et raptoris differunt, in arte schema idem est, cf. C. Robert, Mon. dei Lincei 1899 p. 1 sqq.

[3]) Cf. Ed. Schmidt, Der Knielauf, Münch. archäolog. Studien p. 308. 312. 388 sqq., qui in his quidem monumentis Herculem non currentem sed sagittariorum more genu re vera solum tangentem effictum esse recte dicit.

[4]) Mon. d. Inst. III 34; Clarke, Investigations at Assos, Pap. of the Americ. arch. Inst. I 1882 tab. 15, p. 107 sqq.

[5]) Olympia IV Bronzen tab. 38.

[6]) H. B. Walters, Vases in the Brit. Mus. B 51.

huius generis vasis, gladium gerit et sinistra brachium ultimi Centauri, qui respiciens saxo heroi minitatur, adprehendit, id quod schemati certaminis cum Nesso commissi peculiare esse mox videbimus. Iam ventum est ad exempla attica. E quibus amphora Parisina (Pottier, Vas. du Louvre tab. 81, F 266) Herculem sinistra arcum, dextra clavam tenentem praebet; e centauris ultimus manu dextra arboris truncum tenet, sinistram respiciens perterrefactus tollit, dum ad Herculis pedes alius centaurus humi prostratus, moriens ut videtur, iacet. In vasculo Acris reperto[1]) centaurus capite retorto utramque manum supplex protendit; utrimque alius centaurus adstat. Sed ultro progressi hi vasorum pictores Athenienses Herculem in medio collocant, ut aut centaurum persequens ipse ab alio centauro a tergo impugnetur, velut in lecythio Attico olim ab Andertonio possesso (Moses, Collection of antique vases tab. 1), aut centaurorum fugientium figuris cingatur. Ita in amphora Musei Gregoriani (II, 39, 2a), symmetria diligentissime custodita insigni[2]), Hercules similiter atque in amphora Parisina, sed in alteram partem conversus et arcu carens, clava sublata centauros adgreditur, quorum duo, et ipsi centauro amphorae Parisinae statu et motu similes sed sine truncis, manibus sublatis utroque fugiunt, tertius ad Herculis pedes procidit. Sed hunc pictorem iam pridem anteiverat Sophilus, qui in cratere a Paulo Wolters egregie illustrato (Arch. Jahrb. 1898 tab. 1) Herculem inter duos Centauros dextrorsum sinistrorsumque fugientes ostendit. Ceterum Sophilus quoque, ut ille stili Corinthi imitator, figuram herois e certaminis cum Nesso commissi imaginibus deprompsit. Immo Hercules Sophili Herculi in amphora illa attica[3]) paullo antiquiore, quae

---

[1]) Iudica Ant. d. Acre tab. XXX.

[2]) V. Loeschcke, Bonn. Stud. p. 252; Reisch apud Helbigium, Führer II p. 293 nr. 1202.

[3]) Antike Denkmäler I 57.

de Nesso nomen habet, depicto simillimus est. Nam ut illic, centaurum crinibus trahit, dum ille sinistra brachium dextrum herois comprehendit, ut illic, Hercules gladium gerit; neque tamen Sophilus pharetram a latere pendentem neque arcum in solum proiectum addere oblitus est. Eodem modo atque in Sophili cratere etiam in amphora Musei Wirciburgensis[1]) Hercules crines centauri, centaurus herois brachium adprehendit, altero centauro effugiente. Deinde in amphora Monacensi (650 Jahn) Hercules umerum centauri fugientis comprehendit, dextra clavam vibrat; desunt arcus et sagittae; centaurus caput retorquens manus supplex protendit, cum in altero amphorae latere centaurus arborem evellere studet, ut habeat quo se defendat. Eodem modo Hercules in Musei Gregoriani calice figuris rubris ornato[2]) umerum centauri fugientis comprehendit, dextra clavam vibrat; neque tamen illic centaurus supplicat, sed arboris truncum tenet. Atque hoc in calice Herculis et centauri figurae medium locum tenent, dum singuli utrimque centauri saxa tenentes, alter etiam truncum, fratri auxilio adcurrunt. Agmen claudit crater Thebanus musei Atheniensis[3]), in quo utrimque singuli centauri Herculem adgrediuntur, in altero vasis latere duo alii centauri adcurrentes depicti sunt.

Alterum genus centauros ad Herculem adcurrentes vel contra eum stantes ostendit, aut omnes aut certe ultimum. Exempla sunt amphora fortasse Chalcidica Musei Monacensis[4]), amphora ionica bibliothecae Parisinae[5]), dinus

---

[1]) Urlichs, Verzeichnis d. Antiken-Sammlung III 1872 nr. 102.

[2]) Mus. Gregor. II 72,1.

[3]) Collignon et Couve, Vases du Mus. National 1919.

[4]) O. Jahn, Münch. Vasensammlg. 151. Micali, Mon. ined. 95. Schmidt, l. c. 313.

[5]) de Ridder, Vases peints de la Bibl. nat. 173. Millet-Giraudon III 140. 141. Schmidt l. c. 311.

spartanus Musei Parisini[1]), cantharus atticus Musei Berolinensis.[2]) Hercules clavam aut gladium tenet[3]) et, ut in primi generis exemplis antiquissimis, uno genu nititur, id quod his in vasis neque sagittarii statum neque cursum significare potest, sed procul dubio ex primo genere socordia nescio qua retentum est, unde illud huic aetate antecedere adparet. Similiter in anaglyphis impressis vasorum illorum, quae Birchium secuti *red ware* vocare consuevimus, centauri ad Herculem accedunt.[4]) Secuntur duo calices Attici figuris nigris ornati in quibus, sicut in tabula Olympia, propter spatii angustias unus tantum centaurus repraesentatus est; unus Berolini (Furtwängler 2053), alter Monaci exstat (Jahn 436); Hercules clavam gerit, centaurus in exemplo Berolinensi saxum vibrat et caput retorquet. Eodem modo in vasi Hamiltoniano (Tischbein I, 13) Hercules duos centauros clava petit, in cratere Appulo (Inghirami, vasi fittili I, 79) clava vibrata inter duos centauros conlocatus est, quorum unus supplex procumbit. Denique eidem generi etiam Musei Monacensis amphora, nuper a Beazleio Cleophradi addicta, adnumeranda est.[5]) Herculem ostendit clavam et arcum, ut in amphora Parisina, tenentem, nisi quod dextra manus demissa est. Sed adgredientem, non persequentem nos videre luce

---

[1]) Arch. Ztg. 1881 tab. 11, 1. 12. Spartana huius generis vasa esse, cum antea pro Cyrenaicis habita sint, egregiis Anglorum in solo Spartano scrutationibus hodie constat. Idem iam suspicatus erat Adolphus Milchhöfer, Anfänge der Kunst p. 171 sq.

[2]) Gerhard, Etr. und camp. Vasenbilder 13; Furtwängler 1737.

[3]) Idem de vasculo Madritensi valet, quod, quantum quidem ex Hübneri verbis concludi licet, ad idem genus pertinere videtur (Ant. Bildwerke in Madrid 585). De Epicteti calice (Klein, Meist. sign. p. 102 nr. 5) non liquet; ceterum cf. Stephani, Compte rendu 1873, p. 107 sqq., S. Colvin, Journ. of. H. St. I, 116 sqq. Walters l. c. p. 20.

[4]) Stephani, Eremitage 909. 1065, cf. Loeschcke, Arch. Ztg. 1881 p. 41 sq.

[5]) Jahn 55; Beazley, Journ. of H. St. 1910 tab. 8, pag. 50 sqq.

clarius est; centaurus quoque qui alterum amphorae latus occupat saxo supra caput elato adgreditur, sed pictoris neglegentia factum est, ut in eandem partem atque Hercules conversus sit, nisi forte statuere mavis eum a tergo in heroem invadere, Herculis autem adversarium cogitatione nobis supplendum esse. De sarcophagis Romanis, in quibus Hercules expressus est, ubi de Lapithis agam, dicturus sum; de gemmis ad Furtwängleri librum eximium remitto.

Tertio generi cum primo commune est quod Hercules centaurum insequitur, sed cum illic complures centauri fugientes repraesentari solent, hic unum solum semper invenimus, eumque nunquam truncum, raro saxum tenentem, plerumque omnibus armis carentem. Deinde in nonnullis exemplis viri mulieresque tamquam spectatores certaminis adstant. Atque quamquam eius modi figurae ab antiquioribus pictoribus saepe spatii explendi causa ibi quoque adduntur, ubi praesentiae eorum prorsus nulla ratio inveniri potest, tamen in Arcadiae montibus eas inveniri permirum est, ita ut quaerere debeamus, cur non potius pictor alios centauros fugientes adpinxerit, cum spatium ei abundaret. Quod vero plurimum valet, in antiqua illa amphora attica, de qua iam verba fecimus, centauro Nessi nomen adscriptum est. Unde cognoscimus in hoc vasorum genere non quemlibet centaurum pictum esse, sed raptorem illum virginis, sive Nessum sive Eurytiona singuli pictores in animo habebant. Quod vero ipsa virgo in hoc monumentorum genere deest, aut ita explicari potest ut imaginis compositionem decurtatam esse sumamus, aut ita ut Herculem virgine iam liberata a centauro raptus poenas repetere velle statuamus. Iam intellegimus quattuor illorum quae supra posuimus generum duo priora ad Herculis centauromachiam Arcadicam, posteriora duo ad Nessi vel Eurytionis fabulam spectare.

Dividitur autem hoc tertium genus in classes duas, quarum una Herculem Nessum, ut hoc potius nomine

utamur, insequentem, altera collo vel umero adprehendentem ostendit. Quod schema etiam in primo genere usitatum fuisse supra vidimus. Classis prioris exempla sunt lecythium atticum Musei Atheniensis (Collignon et Couve 698), ubi duo, alterum eiusdem Musei (677), ubi quinque spectatores adsunt, cyathus Atticus Musei Gregoriani (II, 89, 4 a), qui quinque adulescentes partim tranquille stantes partim currentes exhibet, denique lecythium Atticum Musei Britannici (Walters B 538), ubi duae feminae adstant, quarum una fortasse pro Deianira haberi potest. Alterius classis haec adfero exempla: hirneam Samiam ab Ioanne Böhlau effosam (Nekropolen tab. 5, 2) et amphoram Atticam illam, artis Atticae vetustae exemplar praeclarum (Ant. Denkmäler I, 57), in qua centauro Nessi nomen adscriptum est. In utraque Hercules gladio armatus Nessi crines, ille brachium herois adprehendit. Accedunt duo calices Attici fere gemelli Musei Parisini (Pottier A 478 tab. 17; F 67 tab. 68). Hercules clavam gerit et Nessi collum adprehendit, Nessus caput retorquet, brachium eius dextrum Herculis corpore occulitur. Peculiare aliquid lecythium Gelae repertum, nunc in Museo Britannico adservatum, habet (Walters B 537); quod cum Herculem eodem modo atque in iis, de quibus loquimur, vasis pictum ostendat, Nessus in genua procumbit, utraque manu saxum tenet, caput ad Herculem retorquet. Adsunt praeterea spectatores duo, hastas tenentes.

Quartum genus ea comprehendit monumenta, in quibus Deianira Herculis Nessique certamini interest. Hic igitur tres habemus figuras primarias. Hoc genus in quinque divido classes. Primam eam dico, in cuius exemplis Deianira tranquille adstat, secundam ubi effugere studet, tertiam ubi in Nessi dorso sedet, quartam ubi ab eo brachiis portatur, quintam ubi ex brachiis eius elabitur.

In primae classis exemplis Deianira a ceteris spectatoribus statu vel motu vix differt neque certum in imagine

locum tenet. In hirnea Attica Musei Leidensis[1]) post Herculis tergum stat manibus protensis; adsunt praeterea duo senes, quorum unum pro Oeneo habere licet. In amphora Attica Musei Britannici[2]) a Nessi parte contra Herculem conspicitur atque in eiusdem originis amphora Musei Berolinensis[3]) ita iuxta Nessum posita est, ut eius corpore partim occulatur; ceterum pro aliis spectatoribus hic adest Mercurius. Denique in lecythio Attico Musei Monacensis (772 J.) Deianira medium inter Herculem et Nessum locum tenet; adsunt praeterea post Herculem Iolaus, ante Nessum Oeneus. Eodem loco Deianira in calice a Ludovico Ross edito[4]) conspicitur. Ceterum vix recte Furtwänglerum hanc Deianirae positionem ita explicare opinor, ut de dorso Nessi descendisse cogitanda sit.[5]) Immo nihil hic subesse credo quam artis antiquioris simplicitatem et studium symmetriae. Ipse autem Hercules in duobus prioribus vasis necnon in quarto Nessi brachium adprehendit, manu gladium aut clavam gerit, sicut in generis tertii monumentis. Contra in lecythio Monacensi arcum intendit; Nessus iam tribus sagittis vulneratus est.

Alterius classis tria tantum exempla mihi nota sunt: lecythium Atticum Musei Atheniensis (Collignon et Couve 715), calix Atticus Musei Monacensis (Jahn 706) qui in utroque latere eandem imaginem praebet, vasculum Musei Altenburgensis a Furtwänglero commemoratum[6]). In omnibus Deianira effugiens depicta est. Sed vascula sunt figuris nigris ornata vilissimae artis, ut ea ad posteriorem aetatem pertinere et a quinta huius generis classe pendere iure mihi suspicari videar. In exemplo

---

[1]) Roulez, Vases de Leide tab. 8, 2.

[2]) Walters B 227, Mon. antichi dei Lincei 1899 p. 19.

[3]) Furtwängler 1835.

[4]) Arch. Aufsätze II tab. II 2.

[5]) V. Roscher, Myth. Lexikon II 2195.

[6]) V. Roscher l. c.

Atheniensi Hercules clavam, in Monacensi gladium gerit, de Altenburgensi nihil constat.

Multo numerosior tertia classis est, cuius in exemplis Deianira in dorso Nessi sedet, ut Europa in dorso tauri, quam imaginem sexto saeculo magnopere in deliciis fuisse nemo est qui ignoret. Sunt autem fere omnes amphorae Atticae; v. Gerhard, Auserl. Vasenbilder 117/118, Mon. d. Inst. VI/VII 56,4, Walters, Vas. of the Brit. Mus. B 278, Pottier, Vas. du Lonore F 14, Jahn, Münch. Vas. 1081, Moses, Collection V, 1. Hercules clavam vel gladium gerit; adsunt complures spectatores. In amphora Musei Monacensis (84) et in eiusdem Musei calicis imagine interiore (881) Hercules pelle leonina caret. In amphora Musei Britannici (B 278) Hercules hastam gerit, pugnae adsidet Oeneus. Amphora quaedam ab Heydemanno descripta [1]) in uno latere Nessum cum Deianira, in altera Herculem et Minervam depictos ostendit. In amphora, quae in Museo Sant. Angelo adservatur (Heydemann 144), Nessus, ut in lecythio Geloo (v. s. p. 11, Walters B 537), in genua procumbit. In amphora Musei Monacensis (Jahn 126) Deianira ab Hercule adiuta de dorso Nessi utpote iam liberata descendit. In amphora Musei Meermanno-Westhreeniani [2]) Nessus genu dextro inflexo manu dextra Deianiram in dorsum attollere studet, mira nec fortuita cum duabus figuris ex uno lapide factis tympani Olympii, quae litteris DE et RS notantur, intercedente similitudine. Ceterum horum duorum vasorum pictores iam certum actionis momentum accuratius observare et adumbrare vides. Diximus de amphoris. Interdum autem eadem imago etiam in minoris ambitus vasis invenitur, ubi spatio deficiente Nessi Deianiraeque

---

[1]) Arch. Ztg. XXVII. 1869 p. 34. Permirum est quod Heydemanno teste sub Nesso ad Euenum fluvium indicandum delphini additi sunt, tamquam pictor Pausaniae de piscibus marinis in fluviis observatis disputationem (IV, 34,1) legisset.

[2]) A. Holwerda, Arch. Jahrbuch V 1890 p. 244.

figurae solae depictae sunt. Loquor de catillo Attico Musei Atheniensis[1]), de urceo Attico Musei Neapolitani[2]) de calice Attico figuris rubris ornato Musei Britannici[3]), ubi nomina figurarum dialecto dorica adscripta sunt.

Quartae classi ea monumenta adnumero, in quibus Deianira a Nesso aut uno aut ambobus brachiis portatur. Primum est lecythium Corinthium Musei Britannici[4]), in quo Deianira non aliter a raptore suo tenetur atque in monumento quod de harpyis nomen habet animarum figurae aut nymphae a Silenis in nummis Thasiis, quas iam Furtwängler[5]) comparavit. Nessus caput retorquet; Hercules ense stricto consequitur. Similiter Nessi et Deianirae figurae in amphora Ionica Musei Tigurini[6]) recurrunt, sed Hercules ibi clavam vibrat et Nessum adprehendit; praeterea etiam alia mulier adstat. In amphora ab Heydemanno descripta (Bull. d. Inst. 1869 p. 146,3) arcum una, gladium altera manu tenens Hercules centaurum persequitur. Secuntur duae amphorae Atticae eius officinae, quae olim perperam Tyrrhenica vocari solebat. In una, quae in Museo Gregoriano[7]) adservatur, Hercules gladio elato Nessi manum comprehendit. Adsunt a parte Herculis Minerva et Mercurius, a parte Nessi duo viri duaeque feminae. Ab altero vasis latere quattuor centauri Nesso auxilio accurunt. In altera quae Musei Monacensis

---

[1]) Collignon et Couve 1110; Heydemann, Att. Vasenbilder V b.

[2]) Heydemann 2517; Dubois-Maisonneuve 62, 1.

[3]) Smith E 42; Inghirami, Vasi fittili II, 119, cf. Kretzschmer, Griech. Vaseninschriften p. 77.

[4]) Walters B 80, tab. 1.

[5]) V. Roscher Myth. Lex. II, 1052.

[6]) Benndorf, Ant. v. Zürich 415. Furtwängler apud Roscherum I, 2195.

[7]) Mus. Gregor. II, 28,2a. Reisch apud Helbigium, Führer II p. 289 nr. 1192.

est amphora[1]) Nessus in genua procumbit, Hercules clavam gerit, Nesso unus tantum centaurus auxilio venit. Adsunt Minerva et tres spectatores. Denique in Musei Berolinensis amphora Attica (Furtwängler 1702) Nessus in genua procumbit, dum Hercules gladium dorso eius infigit. Adsunt spectatores quinque, inter quos Furtwänglero iudice fortasse Minerva. Idem schema post longum temporis intervallum arte consummata excultum in Aristophanis et Ergini duobus calicibus[2]) et in amphora Petropolitana rubris figuris ornata Panticapaei reperta recurrit[3]).

Quintae classis schema e schemate classis quartae emanavisse videtur; nam cum illic Deianiram brachiis centauri haerentem invenerimus, hic eam e brachiis dimissam et fugientem videmus. Simul autem Herculis figura, quem centaurum collo aut capite adprehendentem et clava vibrata minitantem conspicimus, ex tertii generis classe altera pendet. Ita nascitur magnae pulchritudinis schema quod primum in vasis figuris rubris ornatis observatur et procul dubio eo demum tempore inventum est. Exemplum antiquissimum hydria est Musei Britannici[4]), quae stilum Duridis vascularii ostendit. Hercules collum centauri comprehendit; ille in genua priora procumbens brachium herois tangit manu dextra, sinistram extendit, ita ut iam e complexu eius Deianira soluta dextrorsum effugere possit. Secuntur Polygnoti amphora in Museo Britannico adservata[5]) et amphora Musei Neapolitani quae in vico S. Agata dei Goti effossa est[6]). In hac Deianira pedibus prioribus centauri etiam retinetur, ut mulieres duae in fastigio Olympio, in illa prorsus libera effugit;

---

1) Jahn 156. Mon. d. Inst. I, 26, 10.
2) Furtwängler-Reichhold, Griech. Vas. tab. 128. 129.
3) Stephani, C. R. 1873 tab. 4; Eremitage 1787.
4) Smith E 176. Mon. Ant. dei Lincei IX 1899 p. 22.
5) Mon. Ant. dei Lincei IX tab. III.
6) Heydemann 3089. Millingen, Peint. de vas. 33. Mon. Ant. dei Lincei IX p. 9.

in utraque Hercules caput centauri adprehendit, qui resistendi ne conatum quidem facit; in utraque pater virginis raptae adest, cui vasis Neapolitani pictor Oenei nomen adscripsit ut Dexameni centauro. Tum in cratere posterioris aetatis Corinthio qui Berolini est[1]) centaurus in genua priora procumbit, Hercules sinistra cervicem eius deprimit, dextra clavam vibrat. Deianira effugiens post Herculem collocata est. A dextra aut Iolaus aut, ut malo, virginis sponsus auxilio venit. Denique in amphora Petropolitana[2]) Hercules genu dorsum centauri procumbentis premit, sinistra caput eius adprehendit, dextra clavam vibrat. Deianira dextrosum effugit, iuxta eam sponsus conspicitur, post Herculem Oeneus sive Dexamenus adstat, adsunt et Victoria parvula et Amor.

II.

Iam ad Lapitharum cum centauris certamina transiturus, cum proxime de Deianirae raptae et liberatae imaginibus egerimus, nihil antiquius habendum esse censeo quam indagare, quo modo artifices Lapitharum mulieres rapiendas vel raptas repraesentaverint. Atque primum quidem monendum est inter sexti saeculi monumenta huius rei imagines prorsus deesse; eo crebriores sunt saeculo quinto, ea quae bella Persica subsecuta est aetate, unde suspicio, quam initio disputationis meae indicavi, augetur novam hanc rem ut alias multas ad Polygnoti parietem referendam esse. Est autem, ut arte florente par est, magna figurarum varietas. Attamen ad quinque schemata primaria omnes reduci posse puto. Nam centaurus aut mulierem brachiis aufert aut in dorsum suum attollere conatur aut amplectitur ut secum portet aut de manibus coactus demittit aut

---

1) Furtwängler 2939.

2) Stephani, C. R. 1865 tab. 4. Eremitage 2016.

fugientem persequitur. Artificia sunt vitae motusque plena; fere semper mulier fortiter resistit, neque unquam eam in dorso raptoris sui tranquille equitantem invenimus ut in prioris aetatis vasis Deianiram in dorso Nessi. Attamen primorum duorum schematum radices in antiquioribus illis operibus sitae sunt. Iam enim illic Deianiram brachiis Nessi sublatam vidimus, sed cum ea aut omni motu careat aut manus tantum protendat, mulieres Lapitharum variis modis moventur neque tamquam iacentes portantur sed erectae tenentur. Huius figurae exempla Parthenonis metopa 29, zophori templi Phigaliensis (Anc. Marbles IV, 7)[1]) et heroi apud Trysam siti (Benndorf, tab. 23 B 2), anaglyphum Musei Britannici,[2]) oscillum Pauli Arndtii[3]) praebent; deinde eiusdem figurae reliquum etiam in sarcophago quodam Romano exstat.[4]) Denique in amphora Emporiensi eandem figuram medio in loco collocatam fuisse perspexit Fr. Hauser.[5]) De urnis Etruscis infra dicturus sum.

Alterius schematis solum exemplum duo figurarum paria contra respondentia fastigii Olympii[6]) praebent. Quae maxime ad spatii angustias ita composita esse quamquam recte iudicatur, tamen prototypon harum figurarum iam in amphora Musei Meermanno-Westhreeniani exstare supra cognovimus (p. 13).

Multo frequentius tertium schema est. Centaurus, saepe pedibus prioribus erectis, mulierem adripit, quae modo fortius modo debilius ei reluctatur. Ad hunc numerum

---

1) A. Smith, Catalogue of Sculpture I, 520 p. 279.

2) Ancient Marbles II, 15. Catalogue of Gr. sculpt. 2201.

3) Arndt, Ny Carlsberg p. 130. Eiusdem musei puteal non omni suspicione exemptum mihi quidem esse videtur; itaque eius rationem habere non audeo.

4) Robert, Ant. Sarkoph. III, 135.

5) Furtwängler-Reichhold, Gr. V. III p. 54.

6) Litteris DE et RS designata.

pertinent centauri, qui in fastigio Olympio ab utraque parte Apollinis conlocati sunt, litteris HI et NO notati. Quos si cruribus quoque mulieres amplectentes videmus, simile quid etiam in amphora illa Neapolitana observari quae Deianirae raptum ostendit iam supra monui (pag. 15). Mulieri quae littera N designatur figuram valde similem in stamni fragmentis, quae in Museo Berolinensi adservantur, inveniri Ern. Curtius intellexit[1]), unde vir summus rectissime conclusit etiam centauri figuram hodie deperditam quondam eandem fere fuisse debere atque in fastigio Olympio. Alia exempla praebent Parthenonis metopae meridionales 10 12 22 25. Ceterum hoc schema, praesertim quale Olympiae conspicitur, Deianirae et Nessi, quales in Duridis hydria comprehendimus, schemati simillimum esse, quamquam opposita repraesentantur, iam dudum observatum est. Contra multo placidiorem mulierem rapiendam videmus in calice Petropolitano[2]), quem Nicole, Hauser, alii Midiae rectissime adscribunt.

Quartum schema ad exemplum Nessi Deianiraeque imaginum earum, de quibus supra p. 15 locutus sum. effictum est. Exstat praeclarum eius exemplum tabula in marmore picta Herculanensis, quam Carolus Robert ad Zeuxidem rettulit.[3]) Centaurus in crura posteriora lapsus est. Perithous — nam ita heroem vocandum esse C. Robert demonstravit — dorsum eius genu premit, quo de schemate in proximo capite plura dicturus sum. Victor, sicut apud Polygnotum et in amphora Neapolitana[4]), caput centauri comprehendit, ille, ut in Duridis hydria, brachium herois premit, qui gladio stricto ei minitatur; nova nupta

---

[1]) Arch. Ztg. 1883 tab. 17. Furtwängler, Berl. Vas. 2403.

[2]) Stephani, C. R. 1869 tab. 4; 13. Nicole, Meidias et le style fleuri etc., Mémoires de l'Inst. Genévois 19. 20 (1908) p. 58. Hauser apud Furtw.-Reichhold, Gr. V. pag. 47.

[3]) 22. Hallisches Winckelmannsprogramm. 1898.

[4]) V. s. p. 15.

veste scissa fugiens centaurum, qui umero eam retinere studet, dextra manu lateri eius admota repellere conatur, quem gestum in Amazonum pugnis depictis valde usitatum esse nemo est qui nesciat.[1]) Idem schema alius cuiusdam herois figura auctum in Traiani thermis conspicitur.[2]) Ad eundem numerum refero cratera Tarentinum Musei Britannici[3]), quamquam si rem, non schema spectamus, priori classi potius adscribendus est; neque enim iam rapuit centaurus novam nuptam, sed rapere studet. Amborum figurae in contrariam partem versae sunt atque in tabula marmorea. Centaurus erectus adstat; a parte sinistra Perithous, nomine adscripto denotatus, stricto gladio adcurrit, contra Theseus, inscriptione et ipse denotatus, a tergo centaurum clava vibrata invadit. In urna Etrusca a Körtio (II, 71, 10) edita res paene eodem modo efficta est atque in tabula Herculanensi, nisi quod Theseus statu et motu diversus bipennem ac facem gerit et nova nupta, quae nuda repraesentata est, a centauro etiam altero brachio tenetur. Contra in tribus aliis urnis (Körte II, 2 p. 172 nr. 71,11. 11a. 11b.) centaurus ad schema quartum effictus est; nam cursu citato mulierem aufert, cum Theseus Perithoo tabulae Herculanensis simillimus sit[4]). Denique corollarii instar hic insero figuram, quae prorsus sui generis est, mulierem dico in cratere Attico Musei Florentini[5]), inter Lapitham et centaurum humi iacentem, dextra manu elata, sinistra solo nixa. Nam luce clarius est eam iam a centauro adreptam fuisse

---

[1]) V. Parthenonis metopam occicidentalem 14, zophoros heroi Trysensis (tab. 23 A 2), Nereidum quod vocatur monumenti (Mon. d. Inst. X. 14, 54. 55), Maussolei (Mon. d. Inst. V, 21, 13), sarcophagos romanos (Robert II p. 96 sq.)

[2]) Ponce, Description des bains de Titus tab. 22.

[3]) Mon. ed Ann. d. Inst. 1854 tab 16. Smith F. 272. cf. C. Robert l. c. p. 11.

[4]) Robert l. c. p. 12.

[5]) Heydemann, 3. Hall. Wink. Progr. tab. 3, p. 86, 16.

et, cum liberator advenisset, a raptore demissam in solum cecidisse:

Quintum schema id esse dixi, ubi fugientem mulierem centaurus adripere studet. Sed magna est singulorum exemplorum diversitas. In cratere Musei Vindobonensis[1]) centaurus mulierem veste, mulier centaurum brachio adprehendit; a tergo Lapithes centaurum torre petit. Habes igitur imaginem tabulae Herculanensis non dissimilem. In zophoro Phigaliensi[2]) centaurus mulieris cum infante praetercurrentis brachium adripit. In alia eiusdem zophori parte[3]) centaurus mulierem a simulacro avellere conatur, sed a Lapitha prohibetur.

Tanta est imaginum, quae Lapitharum mulieres a centauris raptas effingunt, varietas.

III.

Iam ad ipsas Lapitharum centaurorumque pugnas transiturus, ut via ac ratione procedam, ingentem fere imaginum multitudinem in genera distribuam, quorum quattuor distingui posse opinor. Primo generi eas adnumero imagines, quae centaurum et Lapitham sese contra adgredientes vel alter alterum telo vulnerantem ostendunt, secundo eas, in quibus alter alterum manu comprehendit, tertio eas, in quibus alter alterum in fugam coniecit, quarto eas, in quibus alter adversarius vulneratus humi iacet.

Atque iam in anaglyphis impressis eorum vasorum quae *red ware* vocantur contra centaurum virum positum videmus, qui cum bipennem teneat, non pro Hercule, sed

---

[1]) Arch. Ztg. 1883 tab. 18; cf. Robert l. c. p. 9.
[2]) Anc. Marbles IV tab. 7. Smith l. c. nr. 520.
[3]) Anc. Marbles IV tab. 10. Smith l. c. nr. 524.

pro Lapitha habendus est[1]). Tum in saeculi sexti vasis Atticis horum certaminum figurae a ceteris certaminibus nullo modo diversae sunt. Lapithae casside lorica ocreis hasta scuto instructi sunt, centauri saxis aut truncis arborum pugnant. Eiusmodi pugnatorum paria quattuor in Clitiae cratere, sex in cratere Musei Petropolitani (Stephani 220) occurrunt. Alia exempla praebent hydriae Petropolitana (Stephani 143) et Neapolitana (Heydemann 2781), cyathi Monacenses (Jahn 1176. 1244). Fit quoque ut centaurus supplex in genua procubiturus sit, exempli causa in cratere Clitiae et in lecythio Musei Atheniensis (Collignon 701).

Iam vero in imaginibus quae bellis Persicis posteriores sunt, quae novitas quae varietas figurarum. Sunt sane quae antiquum typum retineant, nisi quod, ut par est, motus et gestus multo vivaciores sunt. Exempla praebent zophorus Trysensis (tab. 17 B 10, 15, 16, 19, 20 tab. 18,1) et crateres Appuli Museorum Neapolitani (Heydemann 3351), Monacensis[2]) (Jahn 805), Berolinensis (Furtwängler 3241)[3]), ubi Lapithae interdum cum duobus centauris res est. Hic igitur adhuc casside hastaque Lapithas instructos videmus; sed plerumque aut petasum gerunt aut capite aperto sunt, utpote qui ad nuptias invitati sine armis

---

[1]) Vide Salzmann, Kamiros 26. 27; Milchhöfer, Anfänge der Kunst p. 75; Loeschcke, Arch. Ztg. 1881 p. 41 sq.; Dümmler, Athen. Mitt. XXI 1896 tab. V, 1. VI p. 217. 230. Ceterum lecythium protocorinthium sive, ut editori placuit, Argivum Musei Bostoniani (Amer. Journ. 1900 tab. 6) hic non moror, cum pro certo habeam adversarium centauri, quem ibi depictum videmus, Lapitham esse non posse. Immo cum fulmen tenere videatur, equidem pro Iove eum habeam totamque imaginem ita explicem, ut deorum hominumque patrem supplicem aliquem ad asylum quoddam, Lycaeum ut opinor, confugientem contra centaurum defendentem repraesentatum esse suspicer. Sed eius modi mythum litteris traditum non invenio.

[2]) V. Furtwängler-Reichhold, Gr. V. tab. 99.

[3]) V. Gerhard, Apul. Vasenbilder tab. 7.

gravioribus venerint. Dixeris ea demum aetate originem certaminis a Perithoi nuptiis repetitam esse. Exempla habes in cratere Attico Musei Bononiensis (Mon. d. Inst. XI 14) et in hydria Attica Musei Neapolitani (Heydemann 3247), in eiusdem Musei cratere Appulo (H. 4211)[1]), in amphora Tarquiniensi (Bull. d. Inst. 1877 p. 63), ubi Lapithae pedem paullulum referentes, quo fortius aggrediantur, conspiciuntur. In Thesei quod dicitur zophoro occidentali (Sauer, Theseion tab. IV 12. 13), in lecythio ab Inghiramio (vasi fitt. II, 115) edito, in cratere Appulo Musei Neapolitani (H. 3080; cf. Inghirami l. c. 116), in vasculo olim Hamiltoniano (Tischbein I, 11) Lapithes Theseo cum Amazone pugnanti, quem ad Miconis picturam recte referunt[2]), valde similis est. Contra in cratere Boeotio, quem Otto Benndorf edidit (Gr. u. sic. Vasenb. tab. 35), Lapithes brachium quo gladium gerit capiti suo ita praetendit, ut Periclis a Phidia in Minervae scuto caelata imago unicuique in mentem venire debeat[3]). In amphora illa praeclara, quae Emporiis inventa nuper innotuit[4]), in zophoro Trysensi (tab. 17 B. 10), in cippo Chio, qui in Museo Berolinensi adservatur[5]), Lapithes hasta armatus a tergo conspicitur, centaurus, ut etiam in nonnullis eorum quae modo enumeravi exemplorum, pedes priores erigit. Persimilis uterque recurrit in sarcophago quodam romano (Robert III, 136), nisi quod ibi Lapithes centauri barbam vellit. Praeterea etiam in graecis aetatis imperatoriae sarcophagis (Robert II, 110; Le Bas, Voyage arch. tab. 100) eadem certaminis figura invenitur.

---

[1]) Mon. d. Inst. VI/VII, 38.

[2]) Vide Gerhard, Auserl. Vas. III, 163; cf. Klügmann, Amazonen p. 47 sq.; Robert, Marathonschlacht p. 48.

[3]) Cf. etiam Polygnoti amphoram Gelae repertam (Mon. ant. dei Lincei XVII tab. 43).

[4]) Frickenhaus Inst. d'Estud. Catal. 1908 p. 34; cf. Hauser apud Furtw.-Reichh. Gr. V. III p. 54.

[5]) Beschrbg. d. ant. Skulpt. d. Berl. Mus. 766 A.

Sed ad rem melius illustrandam ultro progressi artifices pugnantes etiam supellectili convivali armant. In Aristophanis et Ergini calicibus[1]), ubi haec primi generis figura bis repetitur, hic Lapithes securim illic centaurus candelabrum vibrat. In amphora Emporiensi et in hydria Neapolitana (Heydemann 3247) centaurus dolio sublato Lapithae minitatur. Nonnumquam etiam exitus certaminis repraesentatur; hasta Lapitham centaurum invenimus pungentem in amphora Emporiensi et in cratere Appulo Musei Neapolitani (H. 2411)[2]), gladium in ventrem eius infigentem in Parthenonis metopa meridionali 11, in Thesei quod dicitur zophoro (Sauer tab. IV, 19. 20), in Onesimi calice, qui in Museo Monacensi adservatur (Jahn 368)[3]), in Aristophanis calicibus bis. Contra in calice Faleriis effosso, quem Hartwig in honorem Overbeckii publici iuris fecit[4]), centaurus cultrum, quem ex supellectiti convivali esse editor recte statuit, pectori Lapithae infigit. Denique in Musei, quod Novi Eboraci est, cratere incomparabili a Friderico Hauser praeclare illustrato[5]) centauri omnes torribus adreptis, e Lapithis duo verubus, unus securi dimicant, quocum comparandi sunt et Lapithes in fragmento Berolinensi[6]) depictus, cuius adversarius hodie deperditus mensa proiecta se texerat, et Theseus, quem Pausanias vocat, fastigii Olympii, vulgo M littera denotatus.

Secundo generi ea adnumerari monumenta dixi, in quibus unum alterum adprehentem, caedentem, percutientem, prementem conspicimus. Atque in imaginibus antiquioribus centauros tantum Lapitharum arma ad adgrediendum aut repellendum adprehendentes invenimus. Ita

[1]) Furtwängler-Reichhold, Gr. V. tab. 128. 129.
[2]) Mon. d. Inst. VI/VII, 38.
[3]) Furtw.-Reichh. tab. 86.
[4]) Festschrift für Overbeck p. 22.
[5]) Furtw.-Reichh. Gr. V. tab. 118.
[6]) Arch.-Ztg. 1883 tab. 17.

in calice Berolinensi centaurus scutum Lapithae, cui saxo minitatur, revellere studet (Furtwängler 1754), in urceo Musei Britannici (Walters B 622) gladium Lapithae comprehendit, ut ictu eum impediat. Sed arte florente saepissime Lapithas centauris manum admoventes videmus. In amphora Emporiensi Lapithes centauri caput sinistra adprehendit, dextra, quae hodie deperdita est, gladium vibravisse videtur. Similis figura in nummo Mopsii oppidi Thessalorum, cuius eponymus Mopsus Lapithes erat, conspicitur, nisi quod centaurus ibi adrectum se tollit.[1]) In amphora Musei Parisini (Ann. d. Inst. 1860 tab. A) Lapithes securim gerens centauri qui a tergo conspicitur caput manu comprehendit; ille dextra manum adversarii amovere studet, sinistra ipse collum eius premit. Artius nexos pugnantes in cratere Monacensi (Jahn 805)[2]) videmus: Lapithes, qui dextra demissa gladium tenet sinistra caput centauri, centaurus sinistra cervicem, dextra brachium adversarii adprehendit. Num etiam in Parthenonis metopa meridionali 23 Lapithes centauri cervicem adprehenderit, ex Faidherbii delineatione non satis elucet. Sed in amphora Tarquiniensi (Bull. d. Inst. 1877 p. 64) Lapithes centauri saxo minitantis crines prehendit, ut gladio eum vulneret.

Saepissime vero Lapithae, utpote qui a convivio surrexerint, armis omnino carent. Itaque introducuntur figurae palaestrae propriae. Pugilis statum tenens in cratere Florentino[3]) Lapithes centauro, qui dolium adreptum in eum conicere vult, pugnum in os ingerit. Huic statu et motu similis est Lapithes in Parthenonis metopa meridionali 7 sculptus, nisi quod eum dextra demissa gladium gessisse veri simile est, ut Lapithes ille barbatus heroi Trysensis, qui adcurrens brachium centauri dolium in eum iacturi sinistra retundit

---

[1]) Bull. de corr. hell. V 1881 tab. II, 7; Head, Hist. num. 257.

[2]) Furtw.-Reichh. Gr. V. tab. 99.

[3]) Heydemann, 3. Hall. Winck. tab. 3.

(tab. 23 B 3). Pugno etiam in metopa 32 Lapithes dimicare videtur, sed dextra altius elata ut qua caput centauri ferire velit. Tum in metopa 26, quae artis satis durae est, Lapithes simul et manu sinistra centauri frontem et pedis sinistri ictu ventrem eius petit, in metopa 31 etiam rigidiore simul Lapithes centauri barbam vellit genuque ventrem eius offendit, centaurus collum adversarii sinistra, genu pedibus prioribus premit. De metopa 5 non satis liquet, sed si Faidherbio fidem habemus, Lapithes manu dextra centauri umerum adprehendisse videtur, ut impetum eius retunderet. In crateris Attici fragmento, quod Capuae adservatur [1]), centaurus Lapithae satis delicati caput adprehendit, ille gladio se defendere conatur. In cratere Neapolitano (Heydemann 2411) [2]) centaurus Lapitham utroque brachio complexus morsu violat, dum is frontem adversarii pugno petens simul gladium pectori eius infigit. Similem figuram psycter Faleriis effossus praebet, ubi Lapithes scutum gerit. [3])

Nec desunt luctandi schemata. Non solum in sarcophago Romano Musei Vaticani (Robert III, 132), qui Satyros cum centauris luctantes ostendit, unus e Satyris centauri brachium dextrum in dorsum eius retorquet, sed etiam in sarcophago hodie deperdito centaurus brachio dextro Lapithae brachium sinistrum premit (III, 133); nec dissimiles sunt in urceo argenteo Monacensi caelatae figurae. [4]) In cratere Vindobonensi (Arch.-Ztg. 1883 tab. 18) Lapithes manibus centauri cervici iniectis corporis eius partem anteriorem in terram deprimit. Figura valde similis in heroo Trysensi conspicitur, sed ibi gladius cervici centauri infigitur (tab. 17 B 14). Praecipue vero in deliciis erat unum alterius collum desuper complexum caput

---

1) Furtw-Reichh. Gr. V. III pag. 52,
2) Mon. d. Inst. VI/VII, 38.
3) Furtw.-Reichh. Gr. V. tab. 15.
4) Arneth, Gold- und Silbermonumente in München tab. 11.

adversarii deprimere, ut Theseum Cercyonis in imaginibus ab Euphronio aliisque severioris artis pictoribus depictis.[1]) Centaurum hoc modo a Lapitha oppressum videmus in templi Phigaliensis[2]) et in heroi Trysensis[3]) zophoris, in cratere Florentino[4]), in amphora Emporiensi, in Aristophanis et Ergini calicibus, in cippo Metrodori Chii (Athen. Mitt. XIII 1888 tab. 3), Lapitham a centauro in Parthenonis metopa meridionali 1, in heroo Trysensi (tab. 23 B 2), in vasculis sigillatis[5]), in sarcophagis aetatis imperatoriae tam graecis quam romanis (Robert II, 138 A, III, 133[1]. 134); in sarcophago Musei Vaticani (III, 132) ad centauri et satyri luctationem repraesentandam haec figura adhibita est.

Neque tamen solum truncis saxis supellectili convivali brachiis nudis centauri dimicant, sed etiam pedibus ferinis et dentibus. Quos ut iam antea mulieres raptas pedibus amplectentes vidimus, ita pedibus etiam ad adversarios comprehendendos utuntur. Exempla praebent Parthenonis metopae meridionales 31 et 32, crater Monacensis (Jahn 805; Furtw.-Reichh. tab. 99), urceus argenteus Monacensis (v. s.), sarcophagi Romani (III 132. 133. 133[1]), de quibus omnibus iam locuti sumus, praeterea sarcophagus Coronaeus (Le Bas, Voyage arch. tab. 100). Morsu adversarios petentes centauros praeter cratera Neapolitanum, de quo iam diximus, fastigium templi Olympii et zophorus templi Phigaliensis (Anc. Marbles IV tab. 2) ostendunt. Adulescentulos vero, quibus in cratere Novo-Eboracensi et in calicibus Aristophanis et Ergini centauri amplexu et manu compressa instant, non ad mortem sed ad libi-

---

[1]) Furtwängler-Reichhold Gr. V. tab. 5; Arch. Jahrb. VII 1892. p. 209; Catalogue of the vas. in the Brit. Mus. III tab. 2, al.

[2]) Ancient Marbles IV tab. 9. Smith l. c. 529.

[3]) tab. 23 B 3.

[4]) 3. Hall. Winck. Progr. 1879 tab. 3.

[5]) Dragendorff, Terra sigillata (Bonner Jahrb. 96/97. 1895) tab. V, 33.

dinem peti recte iudicavit Fridericus Hauser; idem de Parthenonis metopa meridionali 6 valere arbitror. De fastigio Olympio et zophoro Phigaliensi, ubi rapti et iuniores sunt et vehementius resistunt, nemo umquam dubitavit. De fragmento Capuano postea disseram.

Tertio generi ea adscribo monumenta, in quibus pugnantium alter alterum fugientem consequens deprehendens opprimens conspicitur. Atque centaurum Lapithae impetum fugientem iam in anaglyphis impressis eorum quae *red ware* dicuntur vasorum invenimus. Sed in vasis depictis aetate antiquioribus quo saepius centauros ab Hercule fugatos videmus, eo rarius a Lapithis in fugam coniectos. Sola quae inveni exempla sunt lecythium Atticum Musei Atheniensis (Coll. 724), calix Atticus bibliothecae Parisinae (de Ridder 331), hydria Etrusca Musei Monacensis (Jahn 269), amphora Appula Musei Neapolitani (Heyd. 2445)[1]. Denique duo vasa Attica, urceus Musei Britannici (Walters B 504) et calix Musei Berolinensis (Furtw. 1754), centaurum caput ad Lapitham retorquentem ostendunt. Lapithae centauros manibus comprehendentes in una hydria Ionica Caeretanorum in oppido effossa conspiciuntur (Ann. d. Inst. 1863 tab. E); ibi enim unus Lapitharum hasta armatus crines, alter gladium gerens brachium centauri adripit. Similiter, sed ut par est arte multo perfectiore, quinti saeculi vasa Lapithas centauris, quorum corporibus partim teguntur, a tergo gladio aut hasta instantes repraesentant. Exempla sunt amphora Emporiensis, amphorae Museorum Parisini (Ann. d. Inst. 1860 tab. A) et Monacensis (Jahn 805), crater Boeotius ab Ottone Benndorf editus (l. c. tab. 35), fragmentum Theodosiae repertum[2], calices Aristophanis et Ergini, ubi

---

[1]) Simili modo in urceo vilissimo Musei Monacensis (Jahn 957) Silenus duos centauros persequitur.

[2]) E. v. Stern, Theodosia und seine Keramik tab. III, 16. cf. Hauser l. c. III. p. 55 n. 28.

Lapithes centauri caput adprehendit, denique crater Lucanicus Musei Britannici (Smith F 162)[1]. Eandem figuram in Parthenonis metopa meridionali 27 et in zophoro Phigaliensi[2] ita variatam conspicimus, ut centaurus in tergo ictus vulnus manu tangat. Similiter res in templi Sunio in promontorio siti zophoro valde detrito effícta fuisse videtur[3], nisi quod ibi centauri pars posterior a Lapitha tegitur, cum in zophoro Trysensi figura antiquior, quae Lapitham post centaurum currentem ostendit, retenta sit (tab. 18, 2 et 5; 17 B. 18). Hic quoque centaurus bis vulneri in tergo sedenti manum admovet, semel in pedes posteriores recidit. In fragmento Capuano[4] Lapithes pugno centaurum pulsaturus est, Lapithae illi pugili, quem in cratere Florentino invenimus, non dissimilis. Summae denique pulchritudinis inventum est Lapitham magna vi innisum pedem aut genu centauri dorso imponere, cuius rei primum exemplar metopa Delphica Herculem et cervam exhibens fuisse videtur. Ceterum eundem heroem pede Nessi dorsum calcantem iam antiquissima illa amphora Attica[5], Acheloi vasa aliquae nigris figuris ornata ostendunt[6]. Lapitham vero eo modo sed lepide variato centaurum opprimentem videmus in Parthenonis metopis meridionalibus 2. 3. 24, in templi Phigaliensis zophoro[7], in vasculis nonnullis sigillatis[8], in sarcophagis compluribus aetatis imperatoriae (II, 110. III, 132. 133. 135. Le Bas l. c. tab. 100), quorum pars pro Lapitha Herculem exprimit[9].

---

[1]) Editus a Passerio, Vasi III, 252.

[2]) Ancient Marbles IV tab. 9, Smith l. c. 529.

[3]) Ath. Mitt. IX. tab. 17, 3.

[4]) Furtw. Reichh. III, pag. 52.

[5]) Ant. Denkm. I, 57.

[6]) E. g. Arch. Ztg. 1885 tab. 6; Gazette arch. 1875 tab. 20.

[7]) Ancient Marbles IV tab. 5; Smith l. c. nr. 526.

[8]) Dragendorff, l. c. tab. 5, 30. 31.

[9]) De aliorum generum imaginibus quae eandem figuram exhibent ad Stephanii disputationem (C. R. 1873 p. 107) lectorem remisisse satis habeo.

Quartum genus ea continet monumenta, in quibus alterutrum in terram ruentem aut humi sedentem vel genibus nitentem vel iacentem conspicimus. Atque centaurum vulneratum vel morientem in terra iacentem et ab alio centauro contra Lapitham defensum iam Clitiae crater bis ostendit. Sed nobis de iis potius schematis sermo est, quae ex duabus tantum personis constant. Quorum schematum classes distingui possunt duae. Nam aut adversis oribus pugnatores contra positi sunt, ut certamen antecessisse perspicuum sit, aut in eandem partem ambo versi sunt, ut alter alterum in fuga deprehendisse videatur. Atque haec illa multo rarior est classis. Exemplum antiquissimum est amphora Musei Monacensis (Jahn 126) figuris nigris ornata, in qua bis hoc schema expressum est. Lapithes scilicet hasta centauro, qui in terram cecidit, minitatur; qua cum amphora Musei Britannici urceum (Walters B 622) comparare licet, quem supra (p. 24) secundo generi inseruimus. Admirabili arte excultum idem schema invenimus in Onesimi calice[1]), aliquanto minore in cratere Musei Petropolitani (Stephani 1629), paene nulla in urceo anaglyphis ornato eiusdem Musei (Steph. 1815)[2]). In heroi Trysensis zophoro Lapithes centauro, qui in genua priora procumbit, hastam in tergum infigit (tab. 18, 7), in Thesei quod dicitur zophoro (Sauer tab. IV, 4. 5) Lapithes centaurum ambabus manibus in terram subigit, mirae audaciae inventum.

Centaurum in fuga cadentem et a Lapitha hasta, gladio, semel etiam clava oppressum ostendunt hydria Attica Musei Leidensis[3]), psycter item Atticus Faleriis repertus[4]), crater Atticus Musei Bononiensis[5]), crateres Appulus et Lucanus Musei Britannici (Walters F. 162. 277);

[1]) Furtwängler-Reichhold Gr. V. tab. 86.
[2]) Antiqu. du Bosph. Cimmér. tab. 47, 1—3.
[3]) Roulez, Vases de Leide tab. 11,1.
[4]) Furtw.-Reichh. tab. 15.
[5]) Mon. d. Inst. XI, 14.

semper centaurus caput ad Lapitham revertit. Accedunt amphora Emporiensis, crateres Boeotus a Benndorfio editus[1]) et Appulus Musei Neapolitani[2]), quibus proprium est quod Lapithes fugientem crinibus adprehendit. Idem in heroi Trysensis zophoro bis invenimus (tab. 17 B 7. 18,6). Palmam vero hac quoque in re Onesimus adeptus est, qui in calice Monacensi traditam figuram mutando egregie excoluit.

De centauro fugiente hactenus. Lapitham fugientem vel potius recedentem, ut centauri impetum evitet sexto saeculo semel tantum in calice nigris figuris ornato bibliothecae Parisinae (de Ridder 331), ubi idem schema compluries repetitur, inde a saeculo quinto saepius invenimus. Res plerumque ita exprimitur, ut centaurus saxo vel trunco sublato adcurrat, Lapithes quamquam in fugam conversus tamen respiciens gladio vel hasta se defendat. Bina exempla praebent zophori templi Phigaliensis (Anc. M. IV tab. 5. 8. Smith l. c. nr. 526. 525.) et heroi Trysensis (tab. 17 B 21, tab. 18, 2. 3); e vasis hydria Appula et crater Appulus[3]) Musei Neapolitani (Heyd. 3247 et 2411), crateres item Appulus Musei Britannici (Walters F 277), Lucanus ut videtur Musei Neapolitani (Heyd. 1986), Etruscus Musei Gregoriani (II, 25) nominanda sunt. Tum in cratere illo Neapolitano alius centaurus, ut contra Lapitham effugientem telum sibi paret, arborem e solo evellit. Idem fieri videmus in lapide Chio Musei Berolinensis (Beschrbg. d. ant. Sk. 766 A).

Lapithes a centauro oppressus humi sedens aut genu nisus iam in vasis quae nigris figuris ornata sunt minime deest. Exempla sunt poculum et amphora Musei Monacensis (Jahn 1244. 86), hydria Musei Neapolitani (Heydemann 2781). Sed maxime quinto saeculo in deliciis erat.

---

1) Griech. und sic. Vasenb. tab. 35.
2) Heydemann 2411, Mon. d. Inst. VI/VII. 38.
3) Mon. d. Inst. VI/VII. 38.

Invenies hanc figuram varie mutatam in Parthenonis metopis meridionalibus 4. 8. 30, bis in Thesei quod dicitur zophoro (Sauer tab. IV, 1. 2 et 14. 15), tantundem in zophoris templi Phigaliensis (Anc. M. IV 3. 6. Smith l. c. 522. 521.) et heroi Trysensis (tab. 17 B 11. 18,4). E vasis ante omnia calix Onesimi, tum Musei Gregoriani calix (II, 72,1) et hydriae Museorum Leidensis (Roulez l. c. tab. 11,1) et Neapolitani (Heyd. 3247), denique psycter Faleriis repertus (Furtw.-Reichh. Gr. V. tab. 15) nominari debent. In cratere Vindobonensi (Arch. Ztg. 1883 tab. 18), ubi bis haec figura conspicitur, Lapithes a centauro in terram coniectus ei telum, hic cultrum illic veru, in ventrem intrudit; similem imaginem arula figulina Romae in Esquilino monte reperta exhibet (Mon. d. Inst. XI, 10,5). Agmen claudit crater Appulus Musei Britannici (Walters F 277).

Lapitham humi prostratum et a centauro pedibus calcatum amphora nigris figuris ornata Musei Britannici (Walters B 176) exhibet. Neque centaurus supra iacentem Lapitham transsiliens sexto saeculo ignotus erat, sed non exstant nisi vilissimi pretii exempla, calix Monacensis (Jahn 549) et hydria Neapolitana (Heyd. 2781), ubi bis haec figura conspicitur. At eandem summa arte excultam in Parthenonis metopa meridionali 28 comparere quis est qui nesciat? Denique ipsum cadendi momentum primum redditum videmus in cratere Attico artis severioris rubris ornato figuris, qui in Museo Britannico adservatur (Smith E 473). Idem arte paene Myroniana in praeclara Parthenonis metopa meridionali 9 expressum est. Momentum paullo posterius in zophoro heroi Trysensis (tab. 18,2) repraesentatum est; nam ibi Lapithes iam solum tangit. Huic Lapithae simillimus est Satyrorum unus in sarcophago Romano, qui centauros cum Satyris luctantes ostendit, expressus (Robert III 132).

Quattuor his quae adhuc statuimus imaginum generibus quintum accedit, cuius proprium est tres figuras ita

coniungi, ut aut Lapitharum unus a duobus centauris aut centaurorum unus a duobus Lapithis cingatur. De priore classe egregie egit Loeschcke in studiis Bonnensibus Reinhardo Kekule oblatis pag. 252. Itaque Lapitham utrimque a singulis centauris oppressum inter vasa Attica nigris figuris ornata Clitiae crater, amphorae Museorum Gregoriani (II 39, 2), Monacensis (Jahn 527), Wirciburgensis (Urlichs III, 115), Halensis, hydria Musei Petropolitani (Stephani 143), cylices Museorum Atheniensis (Collignon 825) et Berolinensis (Furtwängler 2047), vasculum Acris repertum (Iudica, Ant. d. Acre tab. 29) exhibent, ubi Lapithes unum centaurorum in fugam coniecit, dum alter auxilio adcurrit; idem fortasse valet de calicis Attici fragmento, quod in bibliotheca Parisina exstat (de Ridder II 527). Accedunt duo calices Attici rubris ornati figuris, quorum alter in Museo Gregoriano (II, 85, 1) adservatur, alter ab Hartwigio (Meisterschalen p. 551) editus est, stamnus Atticus Musei Parisini (Pottier G. 55, II tab. 95), porro crater, item ut videtur Atticus, Musei Neapolitani (Heydemann 2410) et psycter Faleriis repertus (Furtw.-Reichh. Gr. V. tab. 15), denique inferioris aetatis amphora Appula Musei Petropolitani (Stephani 810).

Hanc igitur figuram artifices, non pictores tantum, sed etiam scalptores, ad Caenei supplicium exprimendum adhibent. Videmus centauros duos Caeneum pali instar truncis et saxis in terra defigentes. Nonnunquam pro duobus tres adsunt centauri, duo ab una, tertius ab altera parte, sicut in antiquissimo exemplo, Clitiae dico cratera. Contra figuram sollemnem exhibent amphora Leidensis[1]) et urceus Monacensis (Jahn 1258) e sexti saeculi vasis, e iunioribus crater Atticus Musei Britannici (Smith E 473), stamnus Polygnoti[2]), stamnus Musei Parisini (Pottier G 55),

---

[1]) Roulez, Vases de Leide tab. 11, 2.

[2]) Mon. dei Lincei 1899 tab. 2.

calix ab Hartwigio editus[1]), hydria Egnatia[2]), amphora Appula Musei Monacensis (Jahn 846)[3].) At in cratere Agrigenti reperto, qui nunc in Museo Panormitano adservatur[4]), tres, ut in Clitiae cratere, centauri conspiciuntur. Idem valet de cratere, qui in studiorum Graecorum Diario Britannico (XVII tab. 6) editus est, in quo obliqua eius qui a dextra parte adstat centauri imago notabilis est[5]). Contra in crateris Bononiensis[6]) collo ab uno tantum centauro Caeneus opprimitur. Inter opera plastica primum locum tenent zophori Thesei quod dicitur (Sauer, tab. IV, 9—11) et templi Phigaliensis (Anc. M. IV tab. 4, Smith l. c. nr. 530), neque sarcophagus Sidonius, qui Lycius audit, praetermitti debet[7]). Eadem imago etiam in Minervae templo, quod in Sunio promontorio situm est, expressa erat, sed nunc misere detrita est[8]). Denique etiam in heroi Trysensis zophoro (tab. 23 B 3) occurrit, sed ita immutata, ut Lapithes non defigatur in terra, sed utroque genu nitatur; itaque de nomine dubitari debet, praesertim cum et alter centaurorum pro saxo dolium vibret et utrimque singuli Lapithae auxilio adcurrant.

Centaurus ubi medium locum tenet, aut utrimque circumvenitur aut dum uni Lapitharum instat ab altero

---

[1]) Meisterschalen p. 551.

[2]) Bullet. Napol. VI tab. 2.

[3]) Millingen, Peint. d. Vases tab. 8.

[4]) Politi, Cinque vasi di premio tab. 6; cf. Heydemannum Arch. Ztg. 1871 p. 54,40.

[5]) De centauris qui eodem modo obliqui picti sunt, vide Hartwig, Festschrift für Overbeck p. 22; Noel des Vergers, L' Étrurie tab. 34; Dasti, Bull. d. Inst. 1877 p. 63; Ann. d. Inst. 1860 tab. A; Pottier, Vases du Louvre G 367; Furtw.-Reichh. Gr. V. tab. 116. Ceterum in universum cf. R. Delbrück, Linienperspektive, Bonn. Diss. 1899; della Seta, La genesi del scorcio (Atti dell' Acc. dei Lincei 1907) p. 103.

[6]) Mon. d. Inst. XI, 14.

[7]) Hamdy-Bey et Th. Reinach, La nécropole royale de Sidon tab. 15.

[8]) Athen. Mitt. IX, 17, 2

a tergo impugnatur aut ipse in utramque partem pugnat. Utrimque oppressum centaurum inter sexti saeculi vasa amphora et lecythium Musei Monacensis (Jahn 126 et 1278), praeterea urceus officinae incertae, qui in Museo Neapolitano adservatur (Heydemann 3082), exhibent. Ceteroquin in vasis hanc figuram invenire non potui. Sed exstat in heroi Trysensis zophoro, ubi centaurum a fronte alter Lapitharum gladio petit, a tergo alter crinibus trahit (tab. 18, 6), in lapide Chio Musei Berolinensis[1]), ubi in centaurum procumbentem alter gladium, alter hastam intendit, denique bis in sarcophago Romano (Robert III 133), ubi dum Lapithes dorsum unius centauri genu premit[2]), Hercules eum a fronte clava petit, et dum alterius centauri caput adversarius manu subigit, eidem alius Lapithes a tergo gladio vibrato instat. Eandem figuram etiam in alio sarcophago (Robert III 133[1]) invenies coniunctam cum ea, quae centaurum ab una parte gladio, ab altera hasta peti facit.

Centauro Lapitham in fugam convertenti a tergo alium Lapitham instantem inveuimus in lecythio nigris ornato figuris Musei Monacensis (Jahn 1266). In heroi Trysensis zophoro centaurus Lapitham fugientem aut cadentem pede retinuisse videtur, caput autem ad alterum Lapitham auxilio venientem revertit (tab. 17 B 13. 14). Simile aliquid in Musei Monacensis calice rubris figuris ornato[3]), ubi eadem imago paullulum variata bis recurrit, fieri videmus. Contra in Xenophanti lecythio[4]) et in cratere Appulo Musei Neapolitani (Heydemann 3082) eum quocum centauro res est Lapitham fortiter resistentem videmus. Calicis Onesimi[5]) et crateris Vindobonensis[6])

---

[1]) Beschreibung der ant. Skulpt. 766 A.

[2]) Vide supra pag. 28.

[3]) Furtwängler-Reichhold, Gr. V. II pag. 133. 134.

[4]) Antiqu. du Bosphore Cimmerien tab. 46; C. R. 1866 tab. 4.

[5]) Furtwängler-Reichhold l. c. tab. 86.

[6]) Arch. Ztg. 1883 tab. 18.

proprium est Lapitham adcurrentem hastam suam in anum centauri infigere. Ceterum hoc in cratere etiam duobus illis centauris a Lapithis in ventre vulneratis singuli Lapithae adcurrentes additi sunt, quorum unus face, alter candelabro centaurorum dorsum petit.

Audacia vero et novitate ea imago excellit, quae centaurum, dum adversarium morsu aut ictu laedit, simul pedibus posterioribus alium Lapitham pulsare facit. Primum obvia est in Onesimi calice, tum in psyctere Faleriis reperto, deinde in zophoro Phigaliensi (Anc. M. IV tab. 2, Smith l. c. nr. 527). Neque in vasculis sigillatis [1]) aut sarcophagis Romanis [2]) deest.

IV.

Iam vero eo perventum est, ut de Thesei templi circa annum 474 aedificati [3]) pariete a Polygnoto picto nobis disputandum sit. [4]) De quo Pausanias nihil praeter haec I, 17, 2: *γέγραπται δὲ ἐν τῷ Θησέως ἱερῷ καὶ ἡ κενταύρων καὶ Λαπιθῶν μάχη · Θησεὺς μὲν οὖν ἀπεκτονώς ἐστιν ἤδη κένταυρον, τοῖς δὲ ἄλλοις ἐξ ἴσου ἔτι καθέστηκεν ἡ μάχη.* Atque inter tot centauromachiae imagines semel tantum centaurum ad adversarii pedes mortuum prostratum invenimus. Tanto confidentius adfirmare ausim hunc adversarium esse Theseum Polygnoti. Conspicitur autem in uno ex fragmentis Berolinensibus, de quibus supra disputavimus (pag. 23). Sed tantum abest, ut hic Theseus victoria gloriatus dimicare desistat, ut securi ambabus sublata alteri centauro minitetur, qui mensa convivali protensa

---

[1]) Dragendorff, Terra sigillata tab. IV, 28.

[2]) Robert III, 133. 133[1].

[3]) Robert, Marathonschlacht p. 52. 69; Wilamovitz, Aristoteles und Athen I 157. 267; Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. III 494.

[4]) Ad sequentia cf. Robertum l. c. p. 48 sqq.

ab ictu se tegere studet.[1]) Nil sane de his Pausanias. Sed qui huius scriptoris consuetudinem satis cognitam habet, non miretur eum ad singula describenda non descendere. Immo satis habuit monere inter tot pugnantes unum adhuc Theseum victorem esse. Quae cum ita sint, etiam centauri figuram, quam sane cogitatione tantum restituere possumus, cum praeter mensae partem tota deperdita sit, ad Polygnoti picturam referre ideo non dubitabimus, quod etiam in Plataeensi Polygnoti pariete, qui Ulixem procos interficientem exprimebat, procos eodem modo mensis se texisse hodie ab omnibus conceditur.[2]) Atqui huic Theseo in fragmento Berolinensi picto Theseum tympani Olympii, qui vulgo littera M denotatur, simillimum esse iam Ernestus Curtius intellexit. Sed ibi raptorem mulieris, de cuius figura supra egimus, a tergo impugnat, ita ut compositio emergat Herculi Deianiram a Nesso liberanti, ut iam supra monuimus, valde similis. Itaque cogitari potest in Thesei figura reddenda Polygnotum et tympani Olympii scalptorem a communi exemplo pendere. Sed hoc ideo parum probabile esse duco, quod etiam mulier illa rapta, quae hodie littera O denotari solet, in fragmentorum Berolinensium altero deprehenditur, ita ut ne in Polygnoti quidem pariete defuisse videatur. Itaque veri simile esse videtur tympani artificem Polygnoti imaginem et cognovisse et ita in usum suum convertisse, ut alias aliter figuras et conlocaret et adhiberet. Contra crateris Novo-Eboracensis[3]) pictor accuratius exemplar Polygnoteum secutus est, nisi quod pugnantium figuras in alteram partem circumvertit et centaurum pro mensa pulvino se tegentem pinxit. Quod vero hic centaurus a tergo decurtatus et

---

[1]) Neque enim ullo modo fieri potest, ut centauri in terra prostrati pedes cum eo coniungantur centauro, qui mensa se defendit, id quod Furtwänglero visum est. Recte iudicaverat Ernestus Curtius.

[2]) Cf. Robert l. c. pag. 49; Benndorf, Gjölbaschi p. 99. 103. 104.

[3]) Furtw.-Reichh. Gr. V. tab. 118.

obliquus conspicitur, id etiam in fragmento Berolinensi eodem modo institutum fuisse ideo probabile est, quod ibi centaurus sub ansa collocatus erat. Itaque in Polygnoti pictura rem non aliter fuisse suspicari licet. Neque profecto casu factum est, quod in amphora Parisina[1]) centaurus eodem modo pictus, nisi quod pugnis solis se defendit, a Lapitha comprehenditur, qui manu dextra securim tenet. En alia variatio figurae Polygnoteae. Longius etiam ab hoc exemplo recedunt Aristophanes et Erginus, qui Lapitham (vix enim Thesei nomen hanc figuram decet) securi armatum centaurum, qui in pedes posteriores lapsus est, invadentem depingunt, Thesei quod dicitur scalptor, qui in zophoro occidentali[2]) Lapitham securi centaurum a tergo, heroi Trysensis[3]) artifices, qui similem Lapitham centaurum eodem telo a fronte petentem effinxerunt. Sed omnes has figuras ab exemplo illo Polygnoteo aliquo certe modo pendere eo minus negari potest, quo certius est in nulla imagine, quae Polygnoto antiquior est, securim aut in Thesei manu aut Lapithae cuiuslibet unquam inveniri. Itaque nostro iure statuere nos posse puto hoc telum in centauromachiam a Polygnoto introductum esse.

Non pauca sunt quae ex hac cognitione lucramur. Nam si ne Theseus quidem in pariete illo armis solemnibus usus est, idem de ceteris quoque convivis, uno fortasse Perithoo sponso excepto, valere consentaneum est. Itaque ad picturam Polygnoti restituendam ea summi momenti sunt vasa, quae Lapithas supellectili convivali dimicantes ostendunt.

Sunt autem praeter fragmenta Berolinensia, a quibus profecti sumus, haec: crateres, qui Novi Eboraci, Vindobonae, Florentiae exstant, fragmentum Capuanum, amphora Emporiis reperta, calices Aristophanis et Ergini. Contra

---

1) Ann. d. Inst. 1860 tab. A.

2) Sauer, Theseion tab. 4.

3) Benndorf l. c. tab. 23 B 2.

aut minus aut nihil ea vasa valent, in quibus Lapithae galeati et scutati armis solemnibus, centauri saxis et truncis utuntur, sicut in psyctere Faleriis reperto et in calice ibidem effosso, quem in honorem Overbeckii edidit Hartwig. Onesimi autem calix etiam propter temporum rationes in censum venire nequit. Attamen rectissime monuit Hauser horum vasorum pictores longissime abfuisse, ut exemplar Polygnoteum diligenter et religiose reddere vellent; immo figuras eius et momenta ita in usum suum convertisse, ut alia cum aliis coniungerent, alia mutarent, alia variarent. Attamen si certas figuras compluribus horum vasorum communes esse invenerimus, si has figuras ante Polygnotum nusquam comparere statuerimus, si his figuris indolem Polygnoteam hodie satis cognitam inesse perspexerimus, aliquo certe iure eas ad parietem Thesei nos relaturos esse arbitror. Quod vero ad pugnantium figuras attinet, hoc firmiter tenendum est nullas ad Polygnoti picturam redire posse, nisi quae certaminis exitum etiam incertum relinquunt.

Sed priusquam ad hos pugnatores nos convertamus, e re erit primum de aliis duabus personis disputare. Adest enim in fragmentorum Berolinensium altero vir statu et vestitu regio, quem pro sponsae patre iure habent. Eadem persona simili vestitu, habitu paullulum diverso etiam in amphora Emporiensi conspicitur neque in cratere Novo-Eboracensi desideratur. Sed ibi vestem multo simpliciorem gestat. Hunc igitur regem aliis praeeuntibus ad exemplar Polygnoteum referre non dubito. Tum puerum quendam nudum in cratere Vindobonensi adcurrentem, in amphora Emporiensi aufugientem conspicimus, quem vini ministrum esse recte censuerunt. Atque in templi Olympii tympano eundem ministrum fortiter repugnantem a centauro libidinoso corripi non minus recte statuitur. Idem et in cratere qui Novi Eboraci adservatur et in Aristophanis calicibus fieri Friedericum Hauser recte intellexisse iam supra diximus. Addidimus etiam de

Parthenonis metopa meridionali 6 fortasse non aliter iudicandum esse. Neque delicatus quidem ille fragmenti Capuani adulescentulus, quamquam gladium gerit, ab hoc vini ministro, quod quidem ad originem attinet, diversus est, praesertim cum ei Chrysippi, Lai amasii, nomen adscriptum sit. Iam videmus quid rei sit. Polygnoti parieti sine dubio unus tantum puer ille sive adcurrens sive aufugiens attribuendus est. At ex iis artificibus, qui post Polygnotum venerunt, sive tympani Olympii scalptor sive pictor aliquis, hunc quoque ministrum a centauro rapi voluit, quod inventum a ceteris receptum est.

Iam ad ceteros pugnatores transiturus initium faciam a Lapitha illo luctandi perito, qui centauri collum desuper complexus caput eius deprimens conspicitur. Ante Polygnotum hanc figuram frustra quaesiveris. Atque magni momenti est, quod in cratere Florentino, qui huius figurae ni fallor exemplum vetustissimum est, centaurus oppressus sinistra manu mensam tollit, quod quam Polygnoti proprium fuerit iam supra expositum est. Accedit, quod sic tantum momenti ortus probe intellegitur. Nam Lapithes sub mensam subrepsit colloque centauri brachia iniecit. Contra Aristophanes et Erginus, amphorae Emporiensis pictor, zophororum Phigaliensis et heroi Trysensis, denique Metrodori cippi scalptores, qui omnes eandem figuram repetiverunt, mensam omiserunt, id quod ad plastices rationem magis respondet. Lapithes eodem modo a centauro oppressus in vasis pictis desideratur, sed in Parthenonis metopis et in heroo Trysensi deprehenditur, tum autem in monumentis Romanis post longum temporis intervallum recurrit. Itaque et ipse aliqua certe cum probabilitate ad Thesei parietem referri potest. Lapitham pugilis statum tenentem, quem idem nobis offert crater Florentinus, ad Polygnoti picturam redire maiore etiam confidentia statuere mihi videor, praesertim cum simillimi pugnatoris reliquum in fragmentis Berolinensibus conspiciatur; nam hasta quaedam, quae iuxta eum comparet, centauri telum

fuisse recte dixit Furtwängler: veru est, ut opinor. Similem figuram in fragmento Capuano conspici iam supra monui.

Tum quinque illae certaminis figurae et novitate et singularitate insignes, quas in cratere Vindobonensi et in eo qui Novi Eboraci adservatur cratere offendimus, ubi torribus verubus candelabris dimicatur, pugnantium vero motus et gestus miram audaciam inventoris prae se ferunt, fieri non potest quin cum Polygnoti pictura satis arte cohaereant, quamquam quae res ad exemplar illud accurate redditae, quae a vasculorum pictoribus novatae et variatae sint, hodie diiudicari nequit. Sed sine dubio Aristophanes, qui figuras similes calici suo inseruit, quamquam eum quoque hac in re a Polygnoto pendere negari nequit, tamen multo longius ab hoc exemplari recessit sive proprio suo Marte sive alio intercedente pictore, Polygnoti successore et aemulo.

Multo difficilius dictu est, quae aliae ex iis, quae in vasis supra enumeratis, imprimis in amphora Emporiensi, obviae sunt, figuris ad Polygnotum referendae sint, praesertim cum saepissime accidisse videatur, ut pictores vasculares alium Lapitham alii atque in Polygnoti pictura centauro opponerent. Quod vero plerumque hasta et gladiis Lapithas pugnantes videmus, id quidem minoris momenti est, cum pictores vasculares facillime verubus hastas, cultris gladios substituere potuerint. Atqui primum pro certo confirmare audeo centaurum, qui erectis pedibus prioribus dolium aut dolii fragmentum tollit, qualem exempli causa in amphora Emporiensi et in Parthenonis metopa meridionali 4 conspicimus, a Polygnoto inventum esse, neque tamen ei, ut in metopa illa, Lapitham humi sedentem oppositum fuisse duco, quod tum Pausaniae pugnam etiam ex aequo stare dicere non licuisset, sed stantem aliquem adversarium, sive eundem atque in amphora Emporiensi sive similem. Tum iam supra intelleximus Lapithae, qui hasta protensa centauro instat, quem et in Thesei quod dicitur zophoro et in vasis nonnullis,

quae supra (p. 22) enumeravi, offendimus, cum Miconis Theseo aliquam intercedere similitudinem; indoles certe Polygnotea est, ut eum quoque ad Thesei parietem referre iure mihi videar. Tum Lapithes ille a tergo visus hastaque centaurum petens amphorae Emporiensi cum cippo Chio, qui in Museo Berolinensi exstat, communis est, centaurus quoque utrobique non dissimilis est. Itaque fieri non potest, quin et pictor Atheniensis et scalptor Chius commune aliquod exemplum ante oculos habuerint, quod Polygnoti parietem fuisse non sine aliqua probabilitatis specie conicere mihi videor.

In zophoro Trysensi bis centauromachia expressa est, atque multo melius in eo lapidum ordine, qui ordini Amazonomachiam continenti subditus est. Atque ut in Amazonum pugna ita in Centauromachia scalptores vestigia secutos esse Polyguoti iam Benndorfius rectissime statuit. Videamus igitur, num quae indagari possint parietis in Theseo picti memoriae. Atque de centauro Lapithae, de Lapitha centauri caput deprimente, de Theseo bipennem vibrante sed alii atque in exemplo Polygnoteo adversario opposito iam sermo fuit. Praeterea invenimus centaurum erectis pedibus prioribus truncum in Lapitham, qui altero genu humi nititur, vibrantem. Tenemus figuram Parthenonis metopae meridionali primae, de qua modo diximus, non dissimilem. Sed illic exitus certaminis certus, hic incertus est, ut hac de causa nihil obstet, quominus scalptorem Polygnoti exemplo usum esse statuamus. Sed cum simile quid iam apud Onesimum inveniamus, contra in vasis, quibus cum Thesei pictura indubitata intercedit necessitudo, desideretur, num iure haec figura ad Polygnotum referri possit dubius haereo. Idem de Lapitha centauri dorsum premente vel potius equitis instar in dorso sedente et de centauro et a fronte et a tergo oppugnato valet, quod schema quam commune fuerit iam exposuimus (v. supra pag. 34). Sed prorsus aliter iudicandum esse puto de Lapitha ambobus genibus nixo, cui centauri duo, dolio unus, alter trunco

sublato, instant, dum ipsi a tergo a singulis Lapithis petuntur. Caenei schema subesse iam intelleximus, sed Caeneum Lapitham oppressum vocari non posse, cum nec pedes eius in solum penetrent et in propatulo sit eum servatum iri; res prorsus singularis, quam a zophori Trysensis scalptoribus primum excogitatam esse vix quisquam sibi persuadeat. Iam reputemus. Apud Polygnotum res in domo regia locum habebat, ubi quominus Caeneus in terram infigeretur, soli stratura prohibebat. Sed tradita atque solemnis erat Caenei figura. Quid multa? Polygnotus schema e re immutatum ad alium quemlibet Lapitham transtulit.

Restant mulieres. Quas singulas fugientes in cratere Vindobonensi, amphora Emporiensi, zophoris Phigaliensi et Trysensi conspicimus. Neque in Polygnoti pariete rem aliter fuisse consentaneum est. Immo quod in cratere Vindobonensi mulierem e conclavi exeuntem et fugientium unam recipientem conspicimus, id quoque ad Polygnotum referam. Etiam pulvinaria, quae et in eodem et in eo, qui Novi Eboraci est cratere, picta inveniuntur, Polygnotea esse recte statuit Fridericus Hauser.

Iam vero mulierem a centauro brachiis asportatam, qua de figura supra egimus, non defuisse certissimum est. Duabus personis, raptore et rapta, constat in Parthenonis metopis, in zophoro Phigaliensi, in aliis quae supra (p. 17) enumeravi monumentis. At in amphora Emporiensi et in zophoro Trysensi, sicut in tympano Olympio bis, tertia figura adiuncta est, Lapitham dico, qui ut mulieri raptae auxilium ferat, centauro a tergo instat. Atque eodem modo rem a Polygnoto expressam fuisse Fridericus Hauser ostendit (l. c. pag. 55)[1]). Neque dubitari potest, quin raptor pro Eurytione, rapta pro Deidamia, liberator pro Perithoo

---

[1]) Non obstat, quod in amphora Emporiensi Perithoi nomen alii Lapithae adscriptum est. Nam in nominibus dandis pictores vasculares saepe ab exemplo aberravisse probavit Hauser.

habendi sint. Hunc autem Perithoum solum ut in tympano Olympio ita apud Polygnotum gladio usum esse iam Carolus Robert statuit (Kentaurenkampf 22. Hall. Winck.-Prog. p. 9. 10). Neque in cratere Vindobonensi aliter res sese habet. Iam adparet Polygnotum hac in re ad traditas Nessi, Deianirae, Herculis figuras se adplicuisse, Zeuxidem autem aut si quis alius tabulae Herculanensis auctor est praeter figuram traditam etiam Polygnotum imitatum esse. Num aliae quoque mulieres a centauris adreptae a Polygnoto insertae fuerint, in medio relinquo; nam mulier in fragmento Berolinensi depicta ipsa Deidamia esse potest. Sed mulierem cadentem, quam in Musei Florentini cratere conspicimus, ad Polygnoti picturam redire valde probabile est.

De dispositione totius picturae disserere non ausim.

V.

Pauca de Centauromachiis in templi Olympii tympano occidentali, in Parthenonis metopis, in zophoris Thesei quod dicitur, templi Phigaliensis, heroi Trysensis obviis addenda sunt. Tympano Olympio praeter eas de quibus diximus figuris cum Polygnoti pictura id quoque commune est, quod pugna in domo regia locum habet. Unus Perithous gladium tenet, Theseus securim vibrat. Nec desunt pulvinaria aut vini minister. Idem locus in Parthenonis metopis supponendus est, quamquam inter Lapithas inveniuntur, qui gladio et scuto armati sint. Etiam deae simulacrum, ad quod una mulierum confugit, insertum est. Ceterum singulas metopas arte et indole inter se diversissimas esse nemo est qui ignoret. Eas quae a Polygnoto pendere videntur supra[1]) enumeravimus. Plurimae alia

---

[1]) Pag. 39. 40. 41. 42.

schemata sollemnia, pars satis obsoleta prae se ferunt. In zophoris Thesei quod dicitur et templi Phigaliensis rursus sub divo dimicatur. Itaque utrobique Caenei antiqua et sincera figura recurrit. Pro doliis centauri truncos et saxa tenent; Lapithae armati sunt. Mulieres, quae in Thesei quod dicitur zophoro desiderantur, in zophoro Phigaliensi magnas partes habent, nec deest ibi deae simulacrum. Memoriae Polygnoteae satis sparsae, multa nove inventa, inprimis in zophoro Phigaliensi. Iam vero zophori Trysensis Centauromachia altera quam arte cum Polygnoti pariete cohaereat, iam intelleximus, in altera quamquam Polygnotea non prorsus desunt, schemata tamen communia et vetusta praevalent.

Haec habui quae de Centauromachiae in arte Graeca figuris dicerem.

Vita.

Natus sum Augustus Hermannus Oelschig a. d. XIII Kal. Nov. a. 1887 Wittenbergii, patre Augusto, Matre Margarita, e gente Lauter, quos superstites esse valde gaudeo. Fidei adscriptus sum evangelicae.

Magdeburgii gymnasium quod nomen a rege Guilelmo accepit frequentavi, unde maturitatis testimonio instructus anno 1906 Heidelbergam migravi studiis philologicis operam daturus. Qua in urbe sex menses commoratus Lipsias me contuli, ubi scholae Francisci Studniczka viri doctissimi ad artis Graecae studia colenda me incitaverunt. Post anni spatium Halas profectus Almae Matris Fridericianae per septies senos menses civis fui.

Docuerunt me viri doctissimi Brandt, Braune, Dieterich †, Ehrismann, Grützmacher, Peltzer, Rathgen, Schmid, Schöll, Thode Heidelbergenses. Bethe, Brugmann, R. Heinze, Hirt, Immisch, Lipsius, Martini, Schreiber, Studniczka, Steindorff, Witkowski Lipsienses. Abert, Bauch, Bremer, Consbruch, Ebbinghaus †, Fries, Goldschmidt, Jahn, Ihm †, Kern, Menzer, Muff, Niese †, Prächter, Reubke, Robert, Saran, Strauch, Uphues, Wissowa Halenses.

Per sex menses seminarii philologici moderantibus Prächter Wissowa sodalis fui ordinarius. Ad exercitationes proseminarii philologici me admiserunt Brandt, R. Heinze, Immisch, Martini, Consbruch, Ihm †, Kern. Exercitationibus ut interessem archaeologicis Schreiber, Robert, ger-

manicis Bremer, Saran, Strauch, paedagogicis Fries, musicis Abert, Reubke benigne concesserunt.

Quibus omnibus viris optime de me meritis debitas habeo gratias, maximas vero Carolo Robert, qui ante ceteros me studiaque mea fovit, ad hanc commentationem suscipiendam me incitavit, in scribenda summa cum benignitate et indulgentia me adiuvit.
